



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd Deus sicut ex nihilo bona facere portuit, ita cum voluit per incarnationis suæ mysterium, etiam perdita bona reparauit. viii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quod homo constet duabus substantijs.

Caput VI.

Duabus substantiis constat homo, anima tātūm & caro. *Idem.*
Anima cum ratione sua, & carne cum sensib^o suis,
id est, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Quos tamen
sensus absque animae societate non mouet caro: anima ve-
ro & sine carne rationem suam integrum tenet.

*Quod spiritus non tertius sit in substantia hominis, ut
quidam affirmant.*

Cap. VII.

Non est tertius in substantia hominis spiritus ut dydi- *Idem.*
mus contendit, sed spiritus ipse est anima. Anima vero
pro spirituali natura, vel pro eo quod spiret in corpore, spi-
ritus est appellata. Animam vero ex eo vocari quod ad vi-
uificantum animatur & corpus. Tertium vero, qui ab Apo-
stolo cum corpore & anima inducitur spiritus, gratiam san-
cti spiritus intelligendum, quam orat Apostolus ut *integra*
perseuereret in nobis, nec nostro vitio, aut minuatur, aut fuge-
tur a nobis: quia spiritus sanctus disciplinae effugiet si cūm.

*Quod Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cūm
voluit per incarnationis suæ mysterium, etiā per-
dita bona reparauit.*

Cap. VIIII.

Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit: *Grego. in
suis mo-*
ita, cūm voluit, per incarnationis suæ mysteriū etiam *ralibus.*
perdita bona reparauit. Duas vero ad intelligēdum se crea-
turas fecerat, angelicam videlicet, & humanam. Vtramque
vero superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis
fregit: sed vna tegmen carnis habuit, alia vero nil infirmum
de carne gestauit. Angelus nanque solummodo spiritus: ho-
mo vero, & spiritus, & caro. Misertus ergo creator ut redi-
meret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione
culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse: & eō altius
debuit apostamat angelum repellere, quod cūm à persisten-
di fortitudine corruuit, nil infirmum ex carne gestauit. Vn-
de & rectè Psalmista cūm misertum redemptorem homini-
bus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit,
dicens: Et memoratus est quia caro sunt. Ac si diceret. Quod
eorum infirma vidit, eō distictè culpas punire noluit.

QQ. iii